

Congelat argentum viuum in corpore magnesiæ: quod  
 ipsi non intellexerunt de argento viuo vulgari quod vi-  
 detur: sed intellexerunt, quod argentum viuum est hu-  
 miditas dicti lapidis: quia magnesiã non est illa quæ vi-  
 detur vulgariter: sed magnesiã vocauerunt totum com-  
 positum, in quo est tota dicta humiditas, quæ est argen-  
 tum viuum: quæ quidem humiditas non est sicut aliæ  
 humiditates, quæ quidem humiditas currit in igne; &  
 in eodem igne totum compositum dissoluit, congelat,  
 denigrat, dealbat, & finaliter rubefacit & perficit. Et  
 nota, ô tu Rex, quod in opere non ponuntur plura: sed  
 vna res duntaxat, nec oportet aliqua fieri trituratione ma-  
 nuum, nec aliquid apponi debet cum dicto lapide. Et  
 nota, ô tu Rex, quod terra alba vocatur lapis albus per-  
 fectus, & terra rubea vocatur lapis rubeus perfectus:  
 quæ quidem terra alba per regimen dicti operis, abs-  
 que adiutorio alterius rei conuertitur in rubedinem.  
 Aqua verò siue argentum viuum, vocatur humiditas,  
 quæ est in dicto lapide. Et nota quod aqua siue humi-  
 ditas dum exit de compositione siue lapide, versa fuit  
 tota compositio nigra in fundo vasis: & sic continuan-  
 do ignem ipsa nigredo in qua est humiditas, vertitur in  
 diuersos colores: & finaliter in albedinem: quæ qui-  
 dem humiditas vocatur etiam aër, qui aër seu humi-  
 ditas miscetur cum terra sua, & cum alijs elementis in  
 ipso lapide existentibus: donec fiat vnum quid album.  
 Et nota, ô tu Rex, quod dicta humiditas aërea, quæ est  
 argentum viuum, est vna res cum terra sua suprascripta,  
 & alijs elementis in ipso lapide persistentibus. Quæ  
 quidem humiditas, licet sit pauca, est sufficiens ad nu-  
 triendum, & ad perficiendum totum lapidem, à quo est  
 ipsa humiditas. Et est sciendum, quod in dicta compo-  
 sitione, seu lapide, sunt Sol & Luna in virtute & po-  
 tentia, ac elementis, in natura: quia si hæc non essent in  
 ipso composito, non fierent: non fierent inde, neque  
 Sol neque Luna: & tamen non est ipse Sol, sicut Sol  
 communis, nec ipsa Luna, sicut Luna communis:  
 quia ipsum Sol & Luna existentes in ipsa compositio-  
 ne, sunt meliores quàm ipsa natura vulgaris: eò quod  
 Sol & Luna dicti compositi sunt viui, & alij vulgares  
 sunt